3 2044 107 251 787

MH
270.1
C84

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/deusucorticischi1713henr

SUB DIVINIS AUSPICIIS!

Rectore Magnificentissimo,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,

PRINCIPE BORVSSIÆ, MARCHIONE BRANDENBURGICO, RELIQVA,

IN ACADEMIA FRIDERICIANA

ex consensu inclytæ Facultatis Medicæ

PROPRÆSIDE

DN. HEINR. HEINRICI, MED. D. P. P.

DE

USU CORTICIS CHINÆ FEBRIFUGO, CAUTO AC SUSPECTO,

PRO GRADU DOCTORALI,

Summisque in Arte Medica honoribus ac Privilegiis impetrandis,

Ad 30. Novembr. M DCC XIII. horis locoq; consuetis

publice disputabit

CONRADUS ANDREAS CRAMER,

LUBECENSIS.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ, LITERIS SALFELDIANIS.

PROEMIUM.

QUæ uberiori deductioni atque explicationi destinata erat de cortice peruviano materia, hanc Tibi L. B. summatim, summaque totius causæ genera, & per brevia incisa jam exhibere possum, festinandi necessitate coactus. Brevitatis igitur veniam precatus, hanc mihi quoque polliceor, si dignitati rei non suffecero, quæ laborem justæ Disputationis modum excedentem omnino requirit, cum amplissimi usus & abusus vulgo esse soleat in fugandis febribus. Idque duplici potissimum de causa, primo quidem ob fallas in cortice febrifugo quæsitas virtutes vel specificas plane, vel manifestas licet, attamen conjunctim ita appropriatas febribus, ut certissimum non modo, sed &

tutiſſimum haberi mereatur febrifugum. Altera cauſa vulgaris abuſus quærenda eſt in diverſiſſimis de indole febrium hypotheſibus, quarum tamen non niſi una, cum una ſit veritas, vera eſſe poteſt. Hoc enim compertum habeo, quod multis fallacia hypotheſium argumenta vel incitamento fuerint ad abuſum communem delabendi; vel impedimento, quo minus potuerint juſtas rationes in animum admittere, vel fidæ experientiæ, optimæ ceteroquin monitrici, manus dare. Audias enim hinc cauſari multos: infidos febrium cortice chinæ curatarum ſucceſſus non huic, ſed aliis quibuscunque concurrentibus cauſis & circumſtantiis individualibus deberi potius, quam cortici, vel ſpecifico, vel ex ſua de febrium hypotheſi innocuo, & apprime conveniente. Sed qua veritate ac veriſimilitudine hæc ita cauſentur illi, ut quadantenus appareat, id quidem jam dabimus operam, quantum in brevitate licebit. Ex quibus inſimul conſtabit, uſum gannaperidis, niſi is fuerit cautiſſimus, ſub conſueta praxi medica de graviſſimis periculis merito eſſe ſuſpectum, per attentam praxin medicam ſatis hodie compertis, ſæpe etiam a Peritis Graviſſimisque Viris in publicum

cau-

cautionis teſtimonium allegatis; non ſine fructu & ſpe, fore tandem, ut ampla licet autoritate munitum vulgarique conſuetudine radicatum præjudicium eruatur tamen ex animis hominum, & meliora certioraque de uſu & abuſu medicamenti noſtri, judicia locum inveniant. Equidem hæc mihi non tribuo, ut ſperem me hiſce auſibus ſufflecturum eſſe. Quibus leve aliquod ſymbolum contuliſſe ſatis eſſe poterit; atque hoc potiſſimum, ut conſtet, uſum corticis chinæ conſuetum & vulgarem ſuſpectum omnino eſſe, ex quacumque etiam hypotheſi de febribus judicium agatur & ſubducatur. Quibus, licet aliis per omnia ſatisfacere non potuero, ut mihi tamen quadantenus ſatisfiat, operam dabo, dum ſpecimen aliquod Inauguralis Diſputationis more majorum edere juſſus hanc mihi materiam breviter excutiendam pro illius Themate ſelegi. DEUM autem T. O. M. ſupplex veneror, ut Sua Gratia mihi adeſſe velit, quo conatus hic meus qualiscunque in EJUS Gloriam, veritatis aliquam illuſtrationem ac valetudinis humanæ tutelam, mihique ipſi ſuccedant feliciter & eveniant!

CAPUT I.

De Viribus corticis peruviani hypotheticis atque veris.

§. I.

Imidium ſeculi eſt, & quod excurrit, cum Patres S. J. corticem chinæ dictum, ex America tanquam opima ſua aridæ arbori detracta ſpolia in terras Europæas, Romamque primum ſecum detulerunt, perſuaſeruntque univerſo propemodum orbi, inveniſſe ſe tandem diutiſſime quæſitum quartanæ cito tutoque depellendæ remedium. Innotuit hoc eadem ætate Medicis in Anglia; unde in Galliam a Talibore vel Talibotio quodam delatum, poſtquam is Anglicano ſuo arcano, ne cognoſceretur, variis fraudibus infucato ipſum Regni Hæredem a febre liberaſſet, ſuumque remedium ſtatuto & ſoluto ingenti pretio credidiſſet Domino Blegny, publici tandem juris factus eſt cortex peruvianus per hunc, juſſu Regis Chriſtianiſſimi, de univerſo genere humano per id bene meriturі. Licet, quid ſub illo arcano deliteſceret, ante jam ſuboluiſſet Pariſienſibus Medicis.

§. II. Poſthac remedium illud novitate acceptum, ſucceſſu qualicunque commendatum & Regia autoritate munitum, publico applauſu, tanquam cœlitus revelatum, miraque de ſpecifica ejus virtute febrifuga con-

conſenſione exceptum, laudatum commendatumque fuit; pauciſſimis interim nihil vel parum præter adſtringendi vim ſpecificæ virtutis in gannaperide agnoſcentibus, quos tamen Sydenhamius, ex febrium curatione per hunc corticem clariſſimus, repreſſit, ipſique ſpecificas virtutes vindicavit. In quo tanto faciliorem medicorum invenit conſenſum; quanto magis inhiarent, quin & indigerent ſpecificis in morbis fere omnibus ea tempeſtate, qua exploſa veterum induſtria, proſcripta quaſi illorum medendi methodo, receptaque in Artem chymia, ad hujus legis illa reformari vel intorqueri potius cœpit; quaque recens ille magnetiſſimus & Analogia majoris minorisque mundi, per credulam rerum ſignaturam, tot appropriata & ſpecifica excogitaret, ac pro ſpecificis venditaret ea omnia, quæ in morbo proficua fuerant obſervata, nec tamen in agendi modo cum adamata hypotheſi nova medico-chymica æque conciliari poterant.

§. III. In his igitur cortex quoque noſter fuit numeratus tunc, & hodieque numeratur a plerisque, licet ſint ac fuerint, qui ex manifeſtis qualitatibus modum agendi juvandique deduxerint, & vere aperuerint; diverſas tamen, aliis has aliis alias in cortice vel inventibus vel quærentibus facultates, prout eas vere, vel ex hypotheſi ſua de febribus, tanquam magis convenientes aut arridentes conceperunt. Sed ſi rationum pondera, quibus quæque hypotheſis ſuffulcitur, juſta lance perpendamus; ſi virtutem corticis febrifugam cum quavis conferamus; ſique experientiam de damnis per hunc datis conſulamus: apparebit, uſum ejus familiarem

liarem in febribus tum per rationes, ex quacunque demum illarum hypotheſi ſubducantur, tum per experientiam attentam, de noxa damnisque variis inde evenientibus non immerito eſſe ſuſpectum.

§. IV. Suſpectum de damno & inſecurum remedium eſt, quod ex natura, indole & efficacia ſua ordinarie & utplurimum, quantum in ſe eſt, agendo damna dare, aut ita invitare ſolet, ut certo tandem inde eveniant, licet quandoque per cauſas contranitentes impediatur illud in efficacia damnoſa. Sive inſecurum & ſuſpectum remedium eſt, quod adeo malarum eſt virium, ejusque indolis & naturæ, ut tuto ipſi non adeo liceat fidere, quin fallat expectationem, & noceat loco juvaminis ſperati aut allati; quo ultimo caſu factum levamen tanto graviori alio damno compenſare ſolet, licet non æque præſentaneo vehementiſſimo & calamitoſo, quod venenorum eſſe ſolet; attamen ex parte medicamenti inſecuri certo, niſi hoc prudentia medica antevertatur, vel bonitate naturæ ſeparetur. Uno verbo, inſecurum ſuſpectum remedium eſt, quo aſſumto quis certum adit ſubitque periculum, quod ſi effugiat ille, debetur evaſio non tam bonitati aut ſecuritati remedii, quam vel prudenti dantis cautioni, vel accipientis robori naturæ.

§. V. Hæc de uſu noſtri remedii præmonenda erant, ne quis hoc juſta ſuſpicione vacuum eſſe dicat propterea, quia non in omnibus febre laborantibus damna ſemper ferat. Neque enim quod certum eſt, & omnino concedendum, robuſtis hominibus, gregariis & agreſtibus, quibus vero labore corpora, ſenſus atque ſani-

ſanitas, ad graviora etiam mala obduruere, calamitoſus adeo eſſe ſolet corticis noſtri uſus, quin illi robore eludant, vel labore reſolvant, quicquid remedium mali intenderat, ſtruxeratque inſidiarum. Neque etiam illi me quicquam remorantur, qui minoribus præbiis chinæ cum aliis utilioribus, quaſi dicis gratia ſociatis uti conſueverunt in curatione febrium, nihilque mali ſe ab ejus uſu dein obſervaſſe aſſeverant, quod ſane credo, quia in minori ejusmodi doſi parum poteſt agere hinc & ſenſibiliter non nocere. Loquimur autem nos de uſu familiari, & efficacia corticis febrifuga atque tali, quæ ſufficit ad febrem fugandam, ſi methodo quaſi Sydenhamiana, liceat ſic multa paucis complecti, adhibeatur.

§. VI. Sub hac methodo vires quidem habet febrifugas, ſed non non ſpecificas, non balſamicas reſolventes, & aperintes, non abſorbentes neque alexipharmacas, ſed ſolummodo adſtrictorias. Tot enim vires febri vel cauſæ contrarias habere dicitur china, quibus vel conjunctim omnibus, vel his illis ſeorſim febrifugam eam volunt. Atque ita hæc duo ſummatim hoc capite mihi ſunt expedienda. *Primo* quibus ex dictis præcipue viribus vim ſuam exſerat. Et *deinde* qua methodo ſit exhibenda, ut edat vim iſtam, nec uti ſucceſſu, ita etiam damno ſæpe careat. Ubi primo omnium de virtute chinæ adverſus febres ſpecifica diſſerendum erit. Vocat chinam chinæ Sydenhamius, cui ea non parum laudis & frequentiæ debet, ſummum intermittentium febrium ſpecificum, quartanæ unicum atque ſolum remedium; occulta vi, nulla vero nec probabili alteratione,

nec ſenſibili evacuatione cauſarum, averruncans febres, ſed intercipiendo fomitem vel ſeminium morbi, ne tempore ἀπυρεξίας maturatum illud paroxyſmi tempore dein committatur humoribus, ex quibus prioris paroxyſmi ſudoribus finalibus eliminatum fuerat; hoc enim tumultus & fermentationis febrilis cauſa ipſi reputatur, quando ex primis viis in humores delatum eſt.

§. VII. Specifica ea proprie dicuntur remedia, quæ, tempeſtive data, certis quibusdam morbis & cauſis, naturâ ſuâ methodo vitali non ſubjectis nec obtemperantibus, virtute motuum ſedativa potius quam cauſarum alterativa & evacuatoria, vel ilico tollendis, vel ſucceſſive, aut radicitus extirpandis, aut inſigniter enervandis ac mitigandis, ſufficiunt. Sunt autem (1) non omnibus morbis data; (2) juvant vel ſublevant morbum cito, tuto, certo & conſtanter; (3) non alterando nec evacuando, (4) ſed ſedando motus, minime vero (5) contrarios inducendo. Quas proprietates ſpecificorum ſtrictim percurremus.

§. IIX. *Primo* notavimus, quod certa morborum genera ſolummodo habeant ſua ſpecifica. Qui enim morbi radicantur in materiis, alteratione poſſibili & evacuatione conſueta vitali adhuc tum ſubigendis, quibusve ſubactis ordinarie, (niſi conſuetudo motuum perpetuitatem attulerit) ceſſare ſolent; illi nec indigent neceſſario ſpecificis, nec gaudent. Quinimo ſi his gauderent, cum non niſi motus ſedare poſſint, dubium eſſet, an etiam iſta tolerarent. Sed in quibus morbis vel ſumma materiæ tenuitas, vel potius ſub hac ſumma motuum ataxia, ab & cum idea terroris, timoris, deſpera-

ſperationis, itemque radicata eorum pertinacitas ab & ſub conſuetudine, hæreditaria diſpoſitione, in cantatione & faſcino &c. præcipua mali præcipitis enormis ac pertinacis cauſa eſt, ob quas circumſtantias iſti vitalem, vel materiæ alterativam poſſibilem, vel ſecretorio-excretoriam methodum eludunt, vel huic nullo modo ſubſunt, in illis inquam morbis ſolummodo Divina clementia generi humano de ſpecificis proſpexiſſe videtur. Quod multis de cauſis & rationibus probabile quidem eſt, ſed probatu longius foret. Reſervabimus igitur ulteriorem ejus deductionem ad conflictum diſputatorium.

§. IX. *Deinde* ſpecificorum ea eſt ratio, ut morbos ſuos cito aggrediantur, eosque vel penitus tollant, brevi tempore, ſimul & ſemel; vel mitigent tamen ad minimum ſenſibiliter, & ita, ut dein ſub continuato remedii uſu, & ſucceſſiva remiſſione, certo deſinant; aut ſaltem eo usque, ut maxime debilitati & enervati appareant per tempus, donec penitus quoque edomentur. Siquidem alia ſpecifica abſolutæ ſunt potentiæ; alia ad methodi cujusdam regulas reſtrictæ, quæ illis aliquam ad plenariam citamque efficaciam edendam injiciunt remoram, cum per varias circumſtantias non æque poſſunt juſto tempore & ordine obſervari. Interim tamen vera ſpecifica citum certumque ſuum, uti juvamen, ita & levamen, ſaltem ex altera parte conſtanter ferunt, ut nec redeat morbus ſuperatus, nec adeo augeatur remiſſior factus; niſi denuo per intercurrentes aut ſupervenientes ſuas cauſas provocetur. Quæ igitur remedia e contrario ſuſpendunt ſolummodo morbum aliquem ad

tempus, nec eum tandem in solidum percurant, ea specificorum titulum non merentur, sed palliativorum nomine venire consueverunt.

§. X. *Tertio* specifica nihil alterant materias, neque evacuant, sed unice motus placant, vel etiam ideas turbatas delent; modo imperscrutabili, sed effectu divinæ gratiæ pleno, & grata in Deum laude deprædicando. Quod si enim occasione materiæ illatæ, quæ per vires naturæ sit incoërcibilis; si cum hac per ideam motuum turbulentorum simul advenientem; imo si etiam sine materia tali, per graviora animi pathemata (quorsum & consuetudo pertinet) aliasque externas magicas ideales vel intentionales causas, summe anomoli, tumultuarii turbulenti; aut contra, trepidi, anxii, tergiversantes desperabundi motus morbosi eveniant; aut si illi diuturnitate adsuefacti pertinaciter vigeant; illi specifica magis expectant, & his magis obediunt, sedantur, in ordinem rediguntur & revocantur; ut dein, sub his ordinario modo procedentibus, si quæ subsit materia impetu non coërcenda, successive eliminetur, placata natura nihil mali inde amplius metuente, nec suscipiente. Cujus exemplum aliquod habemus in peste per contagium suborta, & ab initio pessimis motuum symptomatibus stipata, sed admodum mitigata, si vel tantillum materiæ pestilentialis in glandulam aliquam fuerit impactum; suborto hinc bubone, ac per inflammationem suppurascente eo. Sed hæc altioris sunt indaginis, nec hujus loci.

§. XI. Sedant igitur *quarto* motus specifica. Non generali quodam stupore inducto, ut narcotica & opiata, quæ

quæ inter palliativa plerique omnes, nulli vero medicorum inter ullius morbi ſpecifica referunt; ſed ſingulari quadam, ſine narcoſi injecta, virtute ſedativa, quam nemo mortalium ex materialibus manifeſtis viribus explicaverit, & de qua nos jam non habemus, quod addamus, quam quod ſpecifica ſedeant motus, ſine ſtupefactiva narcoſi non ſolum, ſed & *quinto* ſine diſtractione vel diverſione motuum morboſorum per contrarios motus provocatos, æque turbatorios, vel graviorum malorum feraces, aut ſolummodo diverſivos. Ita enim veſicatoria, dum alios motus doloroſos in extremis partibus v. g. inducunt, paroxiſmos febriles ſæpe ſuſpendunt, divertendo motus priores. Ita adſtringentia idem præſtant conſtrictis primis viis, ut hac ratione motus febriles congeſtorii a peripheria ad hoc centrum fruſtrati intercipiantur, de quo poſtea. Ita etiam vomitoria vehementiora, & indigna medico, imo in quovis homine ſceleris plena arcana, pudet dicere, arſenicalia, contrarios anxiosque motus provocando, febrilium motuum oblivionem quaſi inferunt. Quare, quæ motus morboſos per contrarios motus inductos delent, ſpecifica non ſunt.

§. XII. Præmittenda hæc erant de ſpecificorum indole, quæ uberius clariusque explicata videri poſſunt in *Diſp. de Alterant. & ſpecif. Conſultiſſ. atque Excell. D. Stahlii.* ut, cum virtus chinæ ſpecifica febrium fugandarum multorum animis adhuc hæreat, judicium inde & ex effectibus per experientiam cognitis ferre queant, quid tandem de jactata febrifuga virtute corticis chinæ ſpecifica ſtatuere debeant illi, qvi aliorum autoritate ducti,

credula perſuaſione eam amplectuntur. *Primo* enim febres ex eorum genere morborum ſunt, in quibus natura, quid poſſet vitali methodo in cauſas peccantes, præcipue manifeſtavit, quique ita ſpecificis neceſſario non indigent propter ſuas cauſas, quæ omnes methodo medendi vitali obſecundant. Niſi forſan peſtilentiales quis velit excipere, vel propter ſummam contagii tenuitatem & activitatem perniciſſime deleteriam, quamvis ex hac quoque plurimi eluctentur; vel propter ſpecificam peſtis terrorem, mortis præſentaneæ quaſi timorem, & hinc motuum indolem turbulentam ac deſperabundam. Pertinacitas enim febrium ex diuturna motuum adſuetudine generalioribus adhuctum manus dare ſolet.

§. XIII. *Deinde* cum ſpecificorum ſit, certo cito tuto & conſtanter morbum tollere, vel ſenſibiliter ſublevare, hinc denique ſubjugare; quod cortex chinæ hanc ſpecificorum indolem non habeat, a poſteriori confirmamur. Neque enim (1) cito febres tollit vel ſublevat notabiliter, una vel altera doſi aſſumta; ſed maximam ſæpe copiam ejus devorare oportet, antequam vim ſuam febrifugam in effectum deducat. Unde ad aliquot uncias repletas ſervare, paratas habere & accedentibus vendere ſolent, quibus in arcano ſuo omnis febres curandi ſcientia & peritia reſidet. Neque (2) china certo ſatis, minus adhuc, conſtanter fugat febres, quin fruſtra ſæpe exhibeatur, ſæpiusque recidivæ evadant illæ, bono naturæ conſilio, & cum aliquo arcana poſſeſſoris lucro, ſed & non levi ejus dedecore, ac teſtimonio, nihil fidi certique ſpecifici in cortice hærere.

Nec

Nec etiam (3) tuto is easdem profligat; ſed nî redeat, graviora mala diuturniora ac pertinacia inducit vel invitat; & licet quis ea ex methodo neglecta, abſtergentibus digeſtivis, vomitoriis purgantibus non præmiſſis, originem ducere cauſetur, parum tamen ita virtuti illius ſpecificæ patrocinabitur, cum ad vera ſpecifica cauſarum matertalium alteratione aut evacuatione opus non ſit. De quo alias plura. Sicuti etiam nihil ſpecifici exinde licet pro china concludere, ſi forſan, imo ſi ſæpius, vel præmiſſis methodice præmittendis, vel conjunctis iisdem, vel ubi ſub ἀυτοκρατίᾳ naturæ periodum ſuam abſolverit febris, hanc cito, tuto & conſtanter profligaverit, cujus ratio in promptu eſt. Denique (5) cortex chinæ non ſedando motus febriles, ſed contrarios motus interaneorum, quibus illi eluduntur & ſupprimuntur, provocando febrifugam virtutem exercet in intermittentibus, plane contra indolem ſpecificorum. Ex quibus tantem concludo, eum nulla virtute ſpecifica gaudere, ſicuti nec febres tales ea indigent.

§. XIV. Interim certum hoc eſt, quod cortex chinæ fuget febres, & quidem manifeſtis aliis viribus, cum occultis ſpecificis id non præſtet. Quibus autem in ſpecie illis vim ſuam exhibeat, de eo non eadem autorum commendatorumque eſt opinio. Jubent alias medici, ut pro viribus remediorum eruendis attendamus ad qualitates eorum ſenſitivas, ad ſaporem præcipue & odorem; deinde ad analyſin eorum chymicam, ut ex illis, quæ inde provocantur vel producuntur, judicium aliquod de viribus queamus inſtituere; præcipue autem tertio attendendum eſt ad effectus, per experientiam

tiam cautam & attentam. Quantum ad qualitates ſenſiles, odoris eſt utplurimum nullius, nec me quicquam aromatici vel odore vel ſapore in cortice chinæ, qui tamen febrifuga virtute eminuit, inveniſſe recordor, quod Morton voluit; ſaporis autem eſt amari & adſtringentis lignoſi. Amaror in recenti major, in vetuſta parum minor, utriusque tamen par eſt virtus febrifuga, teſte experientia, de induſtria eam in gratiam a me facta, ita ut fruſtra ſint, qui in vetuſtatem corticis fruſtrati effectus febrifugi culpam rejiciunt. Qui chymica reſolutione, non deſtructione, in principia corticis inquiſiverunt, præter terram lignoſam copioſiſſimam, parum extracti amaricantis & ſubadſtringentis pauciſſimamque reſinam leviter aromaticam ex eo pararunt, ob quæ principia conſtitutiva vires habere dicitur, roborantes, aperientes, abſorbentes & ſubadſtringentes, imo etiam alexipharmacas, diapnoico-ſudoriferas. Denique per has omnes, vel has illas, febrifugas; neque enim, quod dixi, in quo præcipue vis illa reſideat, inter ſe conveniunt Autores, pauci tamen hodie dubitant amplius de inſigni virtute adſtrictoria chinæ de china.

§. XV. Sciens prætereo virtutem Mortoni alexipharmacam, qua chinchinam non pollere certum eſt, nec ulla fida experientia confirmatum; ſudores febrium finales ſine ullo remedio ſequuntur, & ſudores anxii, quos in febribus ſub chinæ uſu obſervavi ſæpius, non ſecus ac vomitus anxios quoque aliquoties, parum alexipharmacæ laudis ipſi tribuerint. Neque etiam de alcalica vel terrea abſorbente, vel ſalina præcipitante, qua

qua febrifugam Ettmullerus aliique chinchinam esse voluerunt, longior ero. Sydenhamius præter specificam, insignem ipsi tribuit virtutem spiritus & sanguinem invigorandi, quam a parcissima ejus resina aromatica, vel quasi, nec ipse deduxit, nec deduci posse paucitas ejus sub aliis copiosioribus amaris & adstringentibus occultata persuadet. Sunt alii, qui vim ejus febrifugam in amarore quærunt & amaricantis principii virtute aperiente; sed cum longe magis amara & virtutis aperitivæ, sine adstrictione, experta jamdudum quartanæ absque simili, quem china edit, effectu fuerint adhibita; aliam in amaritie pro febre pellenda efficaciam proposuit Willisius, non resolventem causas, nec aperientem viscera aut subjecta in quibus illæ hæreant; sed hanc, quod pro more amaricantium omnium blandam aliquam in vitiato, & succum alibilem facile corrumpente, sanguine suscitet fermentationem, per quam agitatus sanguis succum alibilem ex parte coquat & continuo eliminet corruptum, ne in fermentum febrile colligatur, quod paroxysmos alias excitare soleret. Verum licet concederemus, gaudere amara virtute quadam blandiore resolvendi per qualemcunque motum fermentivum vel suscitatum vel conservatum in sanguine; quod tamen hæc ad febres pellendas non sufficiat, demonstrant alia ad hunc effectum præstantiora amara, nec tamen febrifuga.

§. XVI. Restat igitur ut in adstrictoria chinchinæ potentia febrifugam ejus vim quæramus. Negat quidem hoc Sydenhamius ex eo, quod, licet fortissima adstringentia loco chinæ adhibuerit in febribus, nunquam

tamen ſibi ſucceſſerint experimenta, ut illa febres fugaverint. Sed oportuit ſane Optimum illum Virum talia nimis parca manu in uſum vocaſſe, cum ſucceſſus ſatis ſuperque tentantibus reſpondeat. Atque etiam antiquiſſimis temporibus in adſtringentibus febrifuga virtus experta eſt. Dioſcorides memoriæ prodidit, quod unum, tria aut quatuor germina foliorum pentaphylli in quotidiana ac quartana febre eandem habeant, & Sennertus ſcribit, radiculas plantaginis quatuor totidemq; pentaphylli germina appropriatum in quartana virtutem exercere. Folia etiam plantaginis ea, quam Dioſcorides allegat methodo in febribus adhibita ſæpius profuiſſe, aniculæ experimento didici. Radix tormentillæ quoque inter febrifuga a veteribus numerata reperitur. Alumen cum nuce moſch. vulgi æque certum eſt febrifugum ac chinchina. Alumen autem & Angelus Salaplus millies ſibi in quartana expertum eſſe ad drachmam dimidiam datum commemorat. Grylingius idem illud vulgi experimentum, alumen nempe cum nuce moſch. laudat in quartana. Idem cum ſanguine draconis tinctum aut cum nuce moſch. mixtum commendat Mynſichtus. Laudatur etiam alumen cum nuce moſch. olibano, pipere & caryophillis in M. N. C. Ann. VI. p. 169. Celeberrimus Rivinus in Diſput. de febb. interm. terram ſigillatam cum ſacchar. ſaturni & hæmatite aut vitriolo martis non ſemel præſentaneam opem attuliſſe teſtatur. Ex quibus ſane nos abunde convincimur, habere adſtringentia vim talem febrifugam absque omni virtute ſpecifica. Id quod etiam de croco martis antimoniato Excell. Stahlii ſæpe ſum experti,

pertus, & longe melius, quam de ipſa china; cum mitius adſtringendo quidem, ſufficiat tamen ad febrem, præmiſſis præmittendis fugandam, ſeu ad paroxyſmum conſuetudine, citra cauſas materiales correctas abſterſas & evacuatas, continuatum ſupprimendum, neque ut china ſæpe ſolet, appetitum adeo augeat in febricitantibus.

§. XVII. Unde plerique etiam ſcriptorum vim corticis peruviani febrifugam in virtute ejus adſtrictoria poſuerunt, licet in modo agendi inter ſe non conſentiant. Habemus etiam ejus rei ſatis manifeſtum documentum in cita & pertinaci alvi adſtrictione, quam chinchina omnium adſtrictionum noxiarum primo & manifeſto exercet. Et quod adſtringendo viſcera febrem fugaverit, probat quoq; recidiva poſt uſum purgantium ac leniter etiam laxantium ſubjunctorum. A quibus dum congeruntur humores ad inteſtina, reſolvitur ita horum ſtrictura, motusque febriles per motum indoli ſuæ contrarium, adſtrictorium nempe, præpediti revocantur, teſte Sydenhamio & locupletiſſima experientia. Imo, ſponte reſolutis iſtis ſtricturis, niſi continuato chinæ uſu longius protrahantur illæ, recidiva accidit. Unde jubet Sydenhamius, ſolerter ut abſtineat Medicus, tempore uſus illius, & poſthac etiam ſatis diu, a purgantibus, nec hæc niſi poſt menſes binos tres elapſos concedit, quibus tamen corticem chinæ continuat jam quotidie, jam alternis jam quaternis diebus, tandem etiam hebdomatim ſemel ad minimum. Quæ methodus Sydenhamiana idem quoque confirmat, de qua mox.

§. XIIX. De modo autem, quo china virtute ſua adſtrictoria febribus adverſetur, in diverſa abeunt, qui hanc concedunt. Aliis enim placuit, quod eam exerceat in humores & ſanguinem in ſpecie; aliis in ſolidas magis agere videtur. A prima opinione non penitus abeſt ipſe Sydenhamius, quamvis non in adſtrictione, ſed in ſpecifica chinæ virtute vim febrifugam quæſiverit alias. Commendat enim eam in hypochondriaco-hyſterica paſſione ex ea ratione, quod eximias mirandasque vires habeat in ſanguine ſpiritibusque confortandis, & in podagra, quod ſanguinem corroboret, vegetumque reddat, qui in his affectibus nimis ſit debilis, uti in hydrope. Interpretantur autem talem ſanguinis debilitatem pro laxitate tenui & nimis fluxili, qualem habere is ſoleat in hæmorrhagiis enormibus pro quibus ſiſtendis talia ſuadent adſtringentia, quæ nimiam ſanguinis laxitatem condenſent. Sed quoquo modo iſta Sydenhamii interpretari conveniat, ſunt tamen alii, qui putant corticem chinæ virtute ſua adſtrictoria ſanguinem ita conſtringere, coarctare & condenſare, coagulare quaſi, ut fermentum febrile non admittat, ſed excludat, excutiat, ipſique reſiſtat, & evadat ita ad fermentationem febrilem non ſubeundam ſatis robuſtus, de quo videatur Celeberrimus Schelhammerus in tract. de febb. Ejusdem ſententiæ eſt B. Chriſt. Joh. Langius in Diſp. de chinæ uſu febrifugo, ubi tradit, agere hanc coagulando ſanguinem & conſtringendo etiam tubulos vaſorum nervorumque, ut ſpirituum influxus rapidus ac impetuoſus inhibeatur, (quod Mortonus quoque voluit) & ſanguis, dum per conſtrictos & anguſtatos tabulos lente pro-

progreditur, ſymptomata febrilia, horrorem & æſtum, ſubire & præſtare nequeat. Sylvius quoque putat, adſtrictoriam corticis virtutem humores ad efferveſcentias reddere ineptos, in qua febris eſſentiam quærit. Sicuti alter Sylvius & Screta rationem febris magis in ſanguinis coagulatione & orta hinc inflammatione internarum partium varicoſa reponunt. Jones conſtringi putat tubulos & glandulas, in quibus hæreant cruditates ſubſiſtendo aceſcentes, ut conſtrictis illis in maſſam humorum excuti nequirent illæ. Carteſianorum aliqui volunt, conſtringi ſanguinem, ut poros iterum rectilineos recipiat concedatque tranſeunti ætheri, ne hic in circularem motum reflexus turbet maſſam humorum & in æſtum concitet, cujus ſententiæ Bontekoe fuiſſe videtur. Plerique igitur in adſtrictoria corticis virtute vim ejus febrifugam quærunt, conſtringendo nempe vel ſanguinem, ut excludat vel excutiat fermentum febrile, aut ætherem recta linea transmittat; vel fibras ſolidas aut vaſorum, ut refrenetur impetuoſus tranſitus & ita quoque æſtus impediatur. Aut horum & glandularum; ne inde abreptæ cruditates ſanguini commiſceri queant, ad ejus fermentationem &c. aut ut eas ſemper & ſucceſſive excutiat, ne coacerventur in fermentum febrile. Aut denique nervorum; ut ſpirituum labe quadam corruptorum impetuoſus influxus in humores remoretur. Sed ſi primum & primo manifeſtum illum adſtrictionis effectum in inteſtinis cum alvi pertinaci occluſione attendamus, & veram febrium ætiologiam conſulamus; apparebit, conſiſtere vim febrifugam chinchinæ in adſtringendo quidem, verum

non tam in ſanguinem aut remotas vaſorum, nervorum membranarumque fibras, quam primario in ipſas primas vias; licet deinde ad proximas partes cum vena portæ connexas, aliasque etiam remotiores vim ſuam extendat.

§. XIX. Namque febrium intermittentium ſummatim hæc eſt ratio & indoles: Cauſæ continentes hærent vel in primis viis; cruditates nempe bilioſæ viſcidæque, tenacitate ſua firmius inhærentes illis, & copia ſua chylificationem remorantes, chylum depravantes, vel etiam chyli tranſitum in ſua vaſa impedientes quadantenus, tandem in corruptionem nidorulentam & putredinoſam ruituræ. Vel hærent cauſæ in proximioribus partibus in vena portæ viſceribusque & glandulis cum ea connexis, ut ſanguis in vena portæ ſtagnans & ſpiſſior; præcipue tamen ſi concurrant vel cruditates primarum viarum, vel viſcerum glandularumque meſenterii aut pancratis obſtructiones. Secundario ſubinde, in tertianis præcipue accedit etiam plethora, & propter hanc motu febrili conſumendam συνοχόν τι in paroxyſmo æſtuoſo, qui ſæpe ea de cauſa vehementior atque longior eſt, quam intermittentis febris ratio in genere poſtularet.

§. XX. Pro his igitur cauſis corrigendis & quidem pro cruditatibus amoliendis ac diluendis, ut evacuari queant; pro ſtagnationibus vero humorum in vena portæ, viſceribus connexis proprimendis; atque pro obſtructionibus ſano ſenſu dictis reſerandis, imo ſcirrhoſitatibus glandularum incipientibus impediendis & expediendis &c. nihil auxilii eſt in poteſtate naturæ, quam quod in congeſtionibus humorum tonicis ſitum eſt.

Suſci-

Suſcipit igitur has natura per ſtricturas habitus corporis fortiores, ut humores, præcluſo in illas liberiori aditu regrediantur copioſius ad interiora, in vaſa majora, ut ex his dein per pulſum tanto copioſiores ad viſcera infimi ventris depelli queant. Namque & ipſi pulmones quadantenus conſtringuntur, teſte frigido ſub rigore febrili halitu, ne prægraventur copia humorum, utque hi magis ad dictas partes dirigantur. Cum autem ad capacia iſta viſcera eorumque vaſa ſatis ampla replenda majori humorum copia opus omnino ſit; nec tamen niſi per unam alteramque arteriam non adeo amplam, per cœliacam nempe & meſentericam, ad eas partes derivari queant; fortioribus & horridis rigidisque, quaſi convulſivis, motibus in habitu corporis tonico-congeſtoriis opus eſt, quibus reprimantur & maximam partem detineantur ſeu arceantur humores, ſequente ita ſub horrore ac rigore febrili externarum partium frigore. Unde etiam in aliis febribus internarum iſtarum partium inflammatoriis, in cauſo & hepatitide v. g. perpetua quaſi horripilatio intercurrit, quæ mihi aliquoties pro ſigno hepatitidem ab inflammatione muſculorum ſuperſtratorum diſtinguendi pathognomonico inſerviit.

§. XXI. Sequitur ſub tali congeſtione humorum, jam quidem ſequeſtratio notabilis cujusdam quantitatis lymphæ in primas vias, pro cruditatibus viſcidis inibi hærentibus amoliendis ac diluendis, in tertiana præcipue; jam vero diluitio ſpiſſeſcentis in vena portæ ſanguinis; viſcerum expanſio aliqua; & incipientis forſan ſcirrhoſitatis remollitio; hinc vero, perrumpente

ob

ob copiam impetuosius sanguine, qui alias lenius per has partes transit, promotio stagnationum, & absterſio hærentium humorum; atque ita porro deoppilatio viscerum, & reseratio glandularum, quantum quidem ejus potest, vel etiam singulis paroxysmis debet fieri. Neque enim utilis foret in quartanis congestio impetuosior, diuturnior ac pertinacior, qualis in tertianis solet esse, cum metus sit, ne humores sub illa altius irrumpant in partes obstructas, augeanturque obstructiones, aut stasin subeant, suffarctis vasis minimis, vel per modum extravasationis intimius in partium substantiam sese insinuantibus humoribus.

§. XXII. Suscipiuntur & fiunt hæc ita, sub aliqua pro causarum febriumque indole diversitate, propter causas febriles in dictos fines, tempore paroxysmi frigidi plus minus longo. Quibus cum non potuerit non spissitudinem quandam contrahere sanguis ad interiora inque vasa majora congestus, nec debite per partes porosas strictiores pulmonesque itidem quadantenus constrictos transpressus, unde floridam suam fluxilitatem ille habet cum calore; ideo alterum jam erat in febre, ne hoc naturæ remedium corpori cedat in detrimentum, ut spissitudo iterum dissipetur per celerem & frequentem pulsum febrilem, & fortiorem transpressionem sanguinis per partes porosas; sequenti hinc non solum æstu febrili, sed & aliqua sanguinis dissolutione in serum brevi tempore copiosius, & finaliter sudore atque cum urina evacuandam. Quod si igitur status humorum sub tali febre sit plethoricus, conjungitur cum primaria intentione spissitudinem dissipandi

sæpe

ſæpe etiam ſecundarius ſcopus quantitatis majorem aliquam partem reſolutione in ſerum conſumendi, unde paroxyſmus æſtuoſus tanto eſt vegetior atque longior, ad duodedim pluresque horas protractus.

§. XXIII. Ex hac igitur pathologia febrium intermittentium facile apparebit, quomodo cortex peruvianus ſola virtute adſtrictoria vim ſuam febrifugam exerat, motus nempe naturæ atque febri contrarios inducendo, & ventriculum, inteſtina, venam portæ viſceraque contermina ſeu connexa conſtringendo, imo etiam alias partes internas remotiores, uterum præcipue quoque in infimo ventre atque pulmones, quod ex infra allegandis obſervationibus clariſſime apparebit. Cum enim naturæ ea ſit ratio, ut ſub congeſtionibus tonicis partes mandantes conſtringantur, recipientes vero in tono relaxentur, aut ſaltem ſub naturali tonica tenſione reſpectu iſtarum partium minus ſtrictæ, magisque patulæ ſint; nec etiam per quamcunque aliam mechanicam rationem aliter eſſe queat, quam ut inæqualitas virium eſſe debeat inter partes, ex quibus & in quas fit humorum metaſtaſis, ita, ut, ſi habitus corporis a quacunque etiam cauſa vellicatoria ſpasmodice ſtringatur, humoresque inde excutiantur, ac aliorſum dirigantur; & neceſſarium omnino ſit, partes habitus corporis cum illis, ad quas ſit congeſtio, non debere æquabiliter eſſe tenſas ſeu conſtrictas, alias nihil reciperent viſcera interna v. g. in hoc caſu, quæ tamen quod ſub congeſtione febrili horrida plus recipiant humores, id vel ſolus vomitus lymphatico mucidæ, quaſi ſalivalis ſubſtantiæ, ejusque non paucæ, qualis ſub conatu vomitu-

riente ex ſuperioribus œſophagi & faucium partibus forſan exprimitur, ſed ſatis ſæpe notabilis illius materiæ, ſub congeſtione febrili in ventriculum & duodenum fortaſſe etiam ſecretæ vomitus ſatis teſtatur. Quando autem inteſtina aliæque partes internæ, ad quas alias fiebat congeſtio, ultra naturalem tonum valde ſunt conſtrictæ per remedium febrifugum adſtringens; tunc ſub earum ineptitudine copioſius recipiendi humores, fruſtrata ſic intentione naturæ, intermittitur quoque totum congeſtionis febrilis negotium, ceſſatque ita febris. Sufficiant hæc de viribus corticis chinæ per & propter vim adſtrictoriam febrifugis. Pergo ad

CAPUT II.

De chinchinæ cauto ſuſpecto & noxio uſu in febribus.

§. I.

RAtum igitur, certum atque firmum ſit, corticem peruvianum non alia quam adſtringendi virtute febribus adverſari, de quo conſentientes habeo autores plerosque, ut pluribus ſupra dictum eſt. Hoc capite uſum ejus expendemus, atque videbimus primò cautionis regulas, quas dare & obſervare ſolent vel deberent, an & quousque illæ ſufficiant ad innoxium chinæ uſum probandum; deinde ſuſpicionis damnoſæ rationes; ac tertio noxii uſus exempla. Equidem, quantum ad primum, non diffiteor, poſſe locum habere chinchinæ uſum in febribus ſub triplici hac cautione, (1) ut non detur, niſi quando

quando cauſis materialibus & continentibus debito modo ſublatis nihil amplius reſtat, quam ut motus febriles diuturnitate adſuefacti aut ſimili de cauſa non materiali, ſenſibilitate individuali &c. facile recurrentes vel pertinaces expediantur ac ſiſtantur, (2) ut modeſte ac moderate paucis parvisque doſibus exhibeatur, maxime in ſenſibilioribus ſubjectis, (3) ut ſedulo quoque caveatur ſubjectis ceteroquin, præter & extra febrem morbidis, præcipue hypochondriaco-hyſtericis, hecticis, tabidis, cachecticis, & œdematum initiis jam ſub febre aut curatione febris prægreſſa evenientibus, atque feminis, quibus erat & turbatum eſt menſium negotium. In his enim, niſi una vel altera parca doſi febris expediatur, adſtringens illud medicamentum eſt nocentiſſimum; quinimo, cum hypochondriaco-hyſterica mala cum febre intermittente ſint complicata, nunquam hanc fugandam eſſe arbitror, niſi prius de malis iſtis ſublatis conſtiterit, quibus egregie ſuccurrit febris, ſi prudenter dirigatur cura, quod expertum habeo.

§. II. Sed ſi conſueta methodo pro fugandis febribus adhibeatur china, tunc ſemper ſuſpectum, ſæpiſſime damnoſum remedium eſt, in quacunque etiam febre adhibeatur, quia adſtringendo turbat motus naturæ, viſcera & organa ſecretorio-excretoria obſtipat & paroxyſmos intermittentes ſuſpendit vel ſupprimit, relictis in corpore cauſis, ex quibus, ſtricturisque illis inductis graviora mala ſequuntur. Adhibetur autem febrifugum hoc a plerisque Sydenhamiana methodo, quæ ratione 1. febrium quibus applicatur, 2. præmittendorum, 3. conjundorumque remediorum; itemque

ratione 4. doſeos, 5. formulæ, 6. temporis & 7. ſujungendorum ſequens ſummatim eſt, quamvis in quibusdam hodie etiam diſcedant. Febribus quidem (1) Sydenhamius corticem concedit non niſi intermittentibus, quartanis certiſſime; ceteris, præcipue ſi vernales vel autumnales fuerint, timide; continuis malignis depuratoriis dubitive; acutisque inflammatoriis minime. Vulgaris autem praxis omnibus promiſcue intermittentibus chinam applicat, continuis etiam omnibus Morton, malo nominis ſui omine, quæ Excell. Stahlii eſt epicriſis, adhibere docuit, quem aliqui ſequuntur, ſed admodum timide, non niſi parciſſimam doſin cum aliis, ex ſpecificæ virtutis, quam ceteroquin etiam in minori doſi efficacem eſſe conſtat, perſuaſione commiſcendo; qua vero doſi & methodo nihil neque boni neque mali etiam efficiunt, niſi doſis vel majuscula, vel ſæpius repetita fuerit, ubi colatoria ſtringendo & motus naturæ perturbando omnino nocet. (2) Ratione præmittendorum corticis uſui remediorum aliorum diſcrepant quoque inter ſe autores & praxis vulgaris. Sydenhamius nihil neque vomitum neque purgans neque V. S. præmittere jubet, quibus vim corticis debilitari febremque turbari putat. Sed poſtquam damna exinde ſunt obſervata, alii cauſam in amethodiam, univerſalium nempe non promiſſorum rejicientes, præmittere vulgo quidem ſolent unum fortaſſe alterumque digeſtivum remedium, mox vomitorium ſubjungunt, poſtmodum ad corticem confugiunt. Multi a vomitorio ſtatim incipiunt, ſine digeſtivo omni præmiſſo. Alii primo corticem tentant, hinc vomitoria purgantia digeſtiva turbulen-

bulenter interponunt. (3) Conjungi nihil penitus neque etiam interponi quicquam debere cortici Sydenhamio placuit, quia is febrem sine alteratione & evacuatione materiæ, in qua forsan liceret opitulari remedio, febrem fuget virtute specifica; putatque eos, qui aliquid conjungunt, vel ex ignorantia virtutis, vel ex dolo occultandi remedium id agere. ridet eos, qui salibus vel fixis vel volatilibus corticem corrigere aut juvare velint. Nihil attendi debere dicit crasin vel vitia humorum, quia cortex nihil alteret, nec diætam & regimen, sed solummodo interponenda subinde esse cardiaca theriacalia & opiata, si quid urgeat, unice nempe fidens corticis specificæ virtuti, in quibus eum tanto magis sequitur vulgaris praxis, quanto minus laboris habent; licet tanto certius etiam sequantur damna.

§. III. Quantum ad dosin (4) attinet, hanc omnes in intermittentibus satis largam esse volunt & præbent, qualem etiam febris, causis non sublatis postulat pro divertenda per motus contrarios natura. neque enim una vel altera drachma sufficit ad insequentem paroxysmum suspendendum, sed tot unciæ, binæ vel tres, requiruntur, quæ ob commoditatem assumtionis in tot præbia dividunt, ut successive singulis bihoriis, tribus, quatuorve horis, prout citius aut tardius redire solet paroxysmus, die vel diebus ἀπυρεξίας consumi possent tota unius alteriusve unciæ dosis; pro singulis præbiis scrupulos duos aut drachmam unam imo plus adhuc ordinando. (5) Ratione formulæ eam præferunt, qua in substantia commode potest assumi, pulveris nempe aut electuarii formam. Cum cortex in substantia sit

efficacior, plus nempe adſtringens quam in intuſo cum vino facto aut in decocto. Tinctura omnium eſt debiliſſima, maxime quæ cum fortiori ſpiritu vini rectif. facta eſt, cum nihil vel parum virtutis adſtringentis imbibat, unde etiam non niſi in continuis, ob credulitatem ſpecificæ virtutis, timoremque eas ſupprimendi adhibere ſolent in vanum certe. Qui globulorum magnitudine & numero delectantur, poſſunt corticis drachmam cum ſyrupo quodam caryophyllorum juxta Sydenh. & tragacantha liquata in pilulas tornare.

§. IV. In tempore exhibendi remedium potiſſimum arcani auxilium reſidet, quod (6) ſollicite obſervare jubet Sydenhamius; quando nempe ratione periodi & paroxyſmi febrilis, quoties & quamdiu ſit exhibendum remedium (α) ratione periodi febris jubent primos tres forſan paroxyſmos ſine china dimittere, niſi febris vehementia, vel ægri debilitas ſpecificum hoc urgeat, cum quo alii ſtatim ad hos primos quoque paroxyſmos, præmiſſo forſan ſatis intempeſtive vomitorio, parati ſunt. (β) Ratione temporis paroxyſmatici jam ante, jam ſub finem paroxyſmi, jam ſolummodo die intercalari datur. Cum primum innotuerat, dabatur ante paroxyſmum; ſed cum hoc tempore datum remedium varia mala, vomitus enormes, præmaturam paroxyſmi ſuppreſſionem (imo mortem, obſervante Sydenhamio) excitaſſe viſum fuit, tutum non putarunt, turgeſcente in humoribus materia, paroxyſmum, quo iſta ſubigeretur, ſupprimere; cœperant igitur illud exhibere ceſſante æſtu febrili, emicante ſudore, ut materia peccans in loco & foco ſuo, in primis viis, unde in humores ſuc-

ſucceſſive emanaret, ſtatim atque humores ſe a fermento peregrino per paroxyſmum liberaverit, aggrederetur & ſpecifico annihilaretur quaſi, hinc a Taliboto ſub finem æſtus dabatur arcanum Anglicanum. Attamen cum nec hoc quidem ſatis tuto fieret, ſi deſpumatio humorum inhiberentur; hinc Sydenhamio placuit, diem paroxyſmi, ne hic ullo modo prohibeatur, quando jam fermentum febrile in Maſſam Humotum delatum ſit, penitus vacuum a remedio præſtare & ſinere, ſed curam incipiendam demum eſſe a perfecte finito paroxyſmo, tribus vel quatuor horis poſt hunc, atque dein continuare remedium per diem vel dies ἀπυρεξίας ita, ut ſingulis binis, tribus aut quatuor horis repetantur totius doſeos diviſa præbia, ut ſanguis ſpecifica remedii virtute antifebrili ſufficienter imprægnetur, aptaque reddatur vel materiæ peccanti, & fermento febrili dicto, vel fermentationi ipſi reſiſtendi; aut ut materia a remedio occulta ſpecifici ratione corrigatur. Sic enim quartanæ proximum, tertianæ vero ſecundum futurum paroxyſmum certo emanſurum eſſe ſpondet Sydenhamius; ſin minus, denuo aliam doſin remedii diviſim ſumendam eſſe. Si curata (ſic enim loquuntur) recidivet, eadem methodo curam per corticem repetendam eſſe. Quod ſi vero altera vice recidivet; prudentis non eſſe medici inhærere curationi per corticem, ingenue fatetur ille, ſuadetque magis amara remedia, non ſine præjudicio contra ſpecificam chinæ virtutem febrifugam. Supereſt, ut (7) de iis, quæ fugatæ febri ſubjungenda eſſent vel ſunt, paucis dicamus. Cauſantur enim aliqui: nihil impedire par-

paroxyſmi moleſtiis liberare ægros, & poſtea materiam medicamentis aptis tollere. Sed diſſuadentur alterantia, quia his febris curari nequeat, & omnia evacuantia, quibus recidiva invitetur; ſolusque cortex ſubjungitur a Sydenhamio, per menſem & ultra ſumendus, ſingulis ab initio, mox poſt curatam febrem, diebus, dein alternis, ternis quaternisque, quibus binæ imo tres doſes ſeu unciæ, aut in tertianis totidem ſex drachmæ ſucceſſive ſunt ex præſcripto devorandæ ad recidivam prohibendam; maxime ſi jam antea ſemel recidivaverit febris. Ubi demum poſt menſem unum alterumque, imo poſt tertium, conceduntur purgantia, ſed non niſi ſemel per hebdomada. Interim regionis vel loci mutatio ſuadetur.

§. V. Ex hac igitur methodo ſatis manifeſtum eſt, quod (1) cauſæ materiales & continentes penitus negligantur, & ſibi atque ulteriori corruptioni reliquantur, imo depraventur ex parte ipſo cortice, & (2) quod ſub tanta corticis copia, quam poſtulat febris ſuppreſſio per hanc methodum, quamque vulgo adhibent, neceſſario ſequi debeat internorum viſcerum vaſorumque ſtrictura ingens & conſtipatio, motuumque perturbatio in genere; circuli vero humorum & ſecretionum excretoriarum impedimentum ſumme noxium & peſſimæ conſequentiæ. Ex quibus ita altera quoq; hujus capitis pars, rationes nempe juſtæ contra chinam ſuſpicionis deducendæ mihi veniant. Ubi quidem conſtitum erat, easdem per omnes, quotquot a cognito hoc ſpecifico famoſiores febrium fuerunt hypotheſes deducere; ſed modulus diſputationis propoſitus & conſuetus

ſuetus uberiorem hanc pertractationem non permittit. Sufficiat igitur de omnibus in genere dixiſſe, quod nulla earum ſit, quæ non cauſam aliquam materialem & continentem in corpore ſtatuat & concedat, tantæ malitiæ, ut graviora febrium ſymptomata, ſpaſmos nempe rigidos horridosque, & æſtum febrilem provocare aut efficere queat. Hanc vero cujuscunque etiam hypotheſeos vel fictam vel veram cauſam materialem morboſam cortex chinæ nec alterando nec evacuando ſuperat, quod conceditur notumque eſt; ſed potius conſtrictoria virtute retinet, incarcerando firmius impingit, partim etiam coagulando, (namque & hoc tribuitur adſtringentibus) magis depravat. Unde ſequitur: quod nulla ſit hypotheſis, quæ non ſuſpectum habere & concedere debeat uſum corticis per adſtrictionem febrifugum; multo magis vero & omnium clariſſime id apparet, ſi vim corticis febrifugam cum vera febrium pathologia conferamus.

§. VI. Summam hujus ſupra jam tradidi, §. 19. ſeqq. ex qua, & corticis adſtrictoria virtute facile erit de inſecuritate ejus judicium. Namque adſtringendo inteſtina & viſcera, vaſaq; venæ portæ cort. chinæ fugat febres; & licet alia quadam ſpecifica virtute paroxyſmos ſuſpenderet, nullo tamen modo poſſet impedire, quin iſtarum partium ſequatur adſtrictio, cum nemine contradicente hac inſtructa ſit illa. Adſtringit igitur ſine dubio, & ex neceſſitate materiali. Sequuntur autem per & propter adſtrictionem in genere (1) motuum perturbationes, (2) conſtrictiones partium internarum; & (3) ipſorum quoque humorum coagulationes

quasi, secundum communem & ipsius, ut probabilissime videtur, Sydenhamii opinionem. Perturbantur nempe primo motuum respectus finales & salutares, unde sequuntur jam quidem suppressiones illorum, aut saltem suspensiones ad tempus, atque ita fit intempestiva febrium suppressio; jam vero aliorum & alienorum prioribusque graviorum motuum provocationes, unde non solum recidivæ, sed etiam varii febrium metaschematismi dependent, tum febriles, ut ex tertiana fiat quartana, acuta, lenta, hectica; & ex typica penitus anomala, motibus nempe perturbatis; quam etiam deinde tonico-spastici, ut loco febris alii sequantur morbi tonici, quorsum pertinent hypochondriaco-hysterica mala; aut per metastasin factam asthmata sicca imo convulsiva, itemque rheomatico-arthritica, quales erysipelatodeo-rheomaticas passiones & arthriticas Sydenhamius sub nomine rhevmatismi scorbutici unicum corticis vocat incommodum. Observata quoque sunt quasi præ indignatione naturæ emetica ac diarrhoa impetuosa symptomata & periculosissima, eodem Sydenhamio teste.

§. VII. Proveniunt etiam deinde ex partium adstrictione varia alia tam solidarum quam humorum mala & vitia. Horum quidem circulatio & transitus per hepar præcipue impeditus, unde sanguinis spissitudo evenit & augetur, consequentibus hinc hypochondriaco-hystericis passionibus supra jam dictis. Impeditur etiam lymphæ sequestratio ex massa humorum reliqua in peculiaria sua vasa, quæ in hepate alias est copiosissima, & considerabilis hujus utilitatis, ut illa per hanc

hanc ſuam ſequeſtrationem in ſua vaſa, & ſeceſſionem a conſortio & connubio ſeroſitatum liberata in puritate & fluxilitate non parum conſervetur; cum e contrario ſub continuo non ſecedentis lymphæ commeatu & commercio cum ſero pituitoſo & ſalino-tartareo inſignem contrahat viſcedinem, ob quam dein ſtagnationes facile ſubit & tumores œdematoſos efficit, potiſſimum tamen tunc, quando ipſum hepar obſtructionis majoris aut ſcirrhoſitatis vitio laborans, ſeceſſionem lymphæ tanto magis impedit. De quo poſtea. Jam ut vitiorum, quæ humores ſubeunt per adſtrictiones internas, catalogum pertexam, cuivis animum leviter ad organiſmum vitalem advertenti manifeſtum erit, quod humorum quoque motus ſecretorii & excretorii, tum hujus ipſius lymphæ, ceu dictum eſt, tum etiam bilis & pituitæ præ ceteris (his tamen aliis non plane liberis) remorentur & pervertantur; unde & ſub ſanguinis ſpiſſitudine, mala ſequuntur cachectica, etiam ad mentem eorum, qui cachexiam ſoli ſero retento adſcribunt. ad quæ ex parte quoque pertinet rachitis puerorum, in his poſt febres china ſuppreſſas Sydenhamio, ſummo illius chinæ Patrono, obſervata. Sequuntur etiam per partium internarum, ſub medela febrium per corticis inevitabilem adſtrictionem ſanguinei & ſalutaris fluxus menſtrui atque hæmorrhoidalis perturbationes, imo ſuppreſſiones nocentiſſimæ, & plurimorum hypochondriaco-hyſtericorum cachecticorumque malorum feraces.

§. IIX. In ſolidis vero partibus ipſis earum adſtrictiones non leviora quoque mala inferunt & confirmant.

Pertinet huc inteſtinalis canalis ſtrictura vehemens, cum dolore gravativo ventriculi, & quam omnium primo ſub uſu corticis obſervant ægri, pertinaci obſtructione alvi. Deinde viſcera adſtricta opplentur, oppilantur, obſtruuntur imo indurantur tandem glandulæ viſcerum & meſenterii ſucceſſive in ſcirrhoſitates & ſcirrhos, hærente ſcilicet, ſub impedito per adſtrictionem tuanſitu, lympha viſcida, & præternaturali modo in ſubſtantiam glandulæ aſſimilita. Quam quidem pravam viſcerum & glandularum conſtitutionem tandem inſequuntur graviſſima bina vitia, hectica nempe cum phthiſi in ſiccioribus ſubjectis; & tumores œdematoſi cum hydrope in humidioribus. Non negante hæc Sydenhamio, & Conſultiſſ. atque Excell. D. Stahlio ſolertiſſime jamdudum admonente in Probl. de febr. tit. de Quart.

§. IX. Inter generalia corticis vitia ſuperius dicta *tertium* erat, quod etiam humores coagulando noceat. Tribuunt hanc in humores efficaciam quoque adſtringentibus, & B. Chr. Joh. Langius in Diſp. de china hujus virtuti febrifugæ partem in coagulando ſanguine repoſuit, eamque probavit ex eo, quod a decocto chinæ ſanguini ſuperfuſo nigreſcat in momento ad ſenſum craſſefactus cruor. Et memini me legiſſe apud Sydenhamium, quod hydropis cauſam quoque faciat tonum ſanguinis relaxatum & deperditum, pro quo reſtaurando, invigorando & confortando inter alia laudat martialia, adſtringenti virtute prædita, ſimilemque virtutem invigorandi ſanguinem, tribuit quoque cortici chinæ; ex quo efficitur, quod adſtringentibus

ali-

aliquam in humores coagulatoriam efficaciam, seu inspissandi eos virtutem tribuant. Nolo me quidem huic disquisitioni immittere, interim tamen argumentum præbet hypotheticum, quod usus corticis in quartana, cum spissitudine humorum sæpe conjuncta, (eâ nempe, quæ ab obstructionibus viscerum dependet,) suspectus omnino videri debeat; & quod in aliis etiam febribus, a viscidis primarum viarum cruditatibus oriundis similem etiam inspissandi & condensandi efficaciam in illas cruditates exercere queat. Constat mihi ex observatione Excell. D. Stahlii, quod post usum corticis chinæ vomitu tandem rejecta sit materia conglobata, mole parva, verum tantæ non viscositatis, sed duriusculæ densitatis & firmitudinis, ut in terram ejecta vix pedibus subigi conterique potuerit. Simile quid observavi in muliere, cui febris cortice fugata emanserat quidem sub continuato illius usu per octiduum, postea tamen valde anomola cum continuitate quadam rediit, ita, ut quo tempore alias horrido paroxysmo prehensa fuerat, eo tunc postea, sub refrigeratione solum pallida, aliquot lipothymiis corriperetur, ad modum febris, quæ veteribus syncopalis dicta est. Datis convenientibus remediis, vomitu tandem magno conatu rejecit illa materiam, paucam etiam, quæ vix cochleare minus compleviſſet, sed non adeo induratam, nec in globuli figuram compactam, attamen tantæ densitatis, quæ ad albumen ovi recens excluſi ad duritiem cocti spissitudine accederet, colore flavescentem pallide, & quadantenus pellucidam, qua rejecta cessabat febris.

§.X. Fuerunt hæ præcipuæ rationes, ob quas corticis peruviani usus non immerito suspectus habendus est. Restat, ut easdem, pro tertia hujus capitis parte quoque conficienda, exemplis etiam damnosis corroboremus. Et possemus sane eas omnes ex ordine non uno, sed pluribus, non longe petitis & undique conquisitis, sed passim quotidie obviis affatim & abunde confirmare. Verum cum præter spem & intentionem strictior etiam & infra dignitatem rei brevior priorum tractatio propositam mihi brevitatem longius tamen protraxerit; liceat mihi præcipua nocivæ suspicionis capita paucis saltem noxii chinæ usus exemplis corroborare. Sunt enim recidivæ, alvi obstructiones, voracitas febrilis, quotidianæ fere observationis; perversiones typi non rarae. Unicum de his afferam exemplum pictoris cujusdam, qui contra simplicem tertianam per triduum devorato ad jussum Medici electuario trium unciarum febrifugo, subito in continuam incidit anomolam, valde æstuosam & anxiam, primoq; statim die delirioſam. Frequentes sunt tumores œdematosi; hoc rarum, quod in puero IV. ann. notavi Præses, cui pater febrifugi pulveris partem ex officina petitum dedit ingruente frigore tertianæ, unde sub æstu toto corpore subito mirum in modum inflatus puer monstrum videbat horrendum ingens, cui lumen ademtum; adeo enim caput cum reliquo corpore intumuerat, ut vix prospiceret ex oculis, crederetque pater se venenum accepisse & dedisse filio.

§. XI. Subitum etiam febris a cortice metaschematismum cum humorum metastasi, asthma nempe con-

convulsivum terroris plenum observavi, tribus vicibus loco paroxysmi frigidi, succedente tamen æstu, in juvene, donec valediceret cortici, recurrens. Et simile quid extra paroxysmum a china sumta accidisse studioso alius loci ex fide digna relatione habeo. Alius post febrem vernalem mature suppressam male se habebat per mensem; sub adulti veris tempestate austrina atroci corripiebatur arthritide, quæ articulos a calce ad caput in uno, hinc successive deorsum in altero latere, atque sic ter in circulum quasi per quinque septimanas immani dolore cruciabat. Hypochondriacis febricitantibus nocentissimum esse febrifugum hoc, funesto suo exemplo declarat honesta mulier XL. annorum, quæ ab ineunte ætate agiliori, tunc a IV. annis sedentariæ, luctusque ob liberorum mortes plenæ vitæ dedita, & lienis affectu quodam pressorio & subinde spastico, quem sensu manus frigidæ latus subito prehendentis quasi, describendo exprimebat, laborans per tempus, tandem incidit in quartanam, cui ex plurium medicorum consilio, non aliud quam china erat auxilium, sed frustraneum, toties enim fugata redibat toties, semperque pertinacior, tandem etiam sub hectica post XXI. menses, quibus ingentem chinæ copiam consumserat, superveniente perdurans usque ad mortem. Recordor adolescentis sub trimestri contra tertianam chinæ usu, vitaque sedentaria accedente hypochondriaci facti, tandem multis per sex annos frustra adhibitis, tertiana denuo exorta, eaque per nauseam remediorum sex menses tolerata, sponte curati, ut ita ex hoc suppressio febris in hypochondriacis noxia tanto magis eluceſcat.

§. XII.

§. XII. De scirrhoso post corticis usum hepate, manifesto incipiente & crescente, utque tanto minus dubium subsit, etiam ad sensum iterum sub difficili longaque medela decrescente; alioque hydropem adserente pauca subjungam. Fœmina delicatula macra & sensibilis ab esu calentis placentæ pinguis & ira intercedente tertianam patiebatur; supprimebatur hæc intra octiduum cortice; eodem & recidiva; denuo rediens negabat illi cedere. Conqueri autem cœpit de dolore gravativo dextri lateris, sub æstu paroxysmi ingravescente. Posthac instante paroxysmo parum rigido & æstuoso, anxia corripiebatur mœstitia; sub rigore semper ejulabunda illacrymabat præ anxietate, nec tamen ejus causam sciebat; sub æstu mitiore mente mota plane delirabat. Profligato hoc symptomate magis ad se attendens sentiebat hepar tumidum & duriusculum, augebatur ita successive, tandem etiam decrescebat successive iterum. In alia ex simili causa ortus tumor hepatis per tres annos valde attollebatur; succedebat tandem ascitis. Obiter hic noto, quod huic tres dies ante mortem oculi ad pilæ magnitudinem intumescentes ex orbitis prominuerint.

Sufficiant pauca hæc exempla, quorum deductio uberior & applicatio, cum fieri jam nequeat, ex prioribus erit facilis. Ceterum DEO O. M. pro præstita mihi hucusque studiorum meorum gratia humillimas ago gratias, & nuncupo sempiternas.

FINIS.